



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ortv Ac Progressv Artis Typographicae Dissertatio Historica

Mallinckrodt, Bernhard von

Coloniae Agrippinae, 1640

2. De Typographica Officina Plantini, è Lud. Guicciardino & Scribanio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11780**

uantur. At cum Bibliorum editioni Aristotelica esset successura, atque illa nondum absoluta, Ximenius è vitis sublatus sit mortis præoccupantis iniuria, quæ semper viris magnaminis periniqua & immatura accidit, præclari operis ingenti spe studiosos homines frustraui.

*De Typographeio Plantiniano ex Ludouici Guicciardini Belgio, de Antverpia agentis.*

**S**ed non minus quam omnia hæcenus dicta spectatu & contemplari iucundum simul & admirandum est amplum illud & celeberrimum Typographeion, quod separatim ab ipsa taberna libraria proprijs commodisq; admodum cellis extruendum curauit doctus ille & ingeniosus Christophorus Plantinus Architypographus Regius, opus reuera dignum quod memoretur, quia fortasse non constat visam hucusque fuisse vel hodieq; in tota quam latè patet Europa, vsquam videri vllam rem huic operi parem, vbi nempe tot præla, tot torcularia, tot & tam varijs generis characteres, tot formulæ, totque alij apparatus & instrumenta vel iustum Theaurũ pretio suo æquantia: tot denique viri præstantes, & hisce talibus obeūdis perquam idonei lautis vndeunque stipendijs conducti, & occupati in corrigendis omnibus prorsus (nullam enim excipio) tam literatis, quam vulgaribus linguis, quæ inter Christianos quidem in vsu sunt. Ita vt omnibus computatis expendantur in hanc officinam eiusque appendices duceni & plures floreni, id est, supra centenos aureos nostros in singulos dies, Rem profectò præclaram ac non ipsi duntaxat laudatissimo suo auctori, verum & toti vbi vtilem iuxta ac perquam honestam! distribuuntur siquidem hæc tam pulchra rãq; emendata volumina innumerabili penè numero per vniuersum orbem terrarum. *Hæcenus Guicciard.* Meminit huius etiam officinæ Iacob. August. Thuanus lib. 1. de vita sua, vbi se, cum Antverpiæ ageret ad Platinum diuertisse scribit, in cuius tunc ædibus, licet rebus accisis, septemdecim adhuc prælis operæ ferbuerint (ad. an. 1576.) Exijt autem, vt supra dictum est, ex hac officina Regiorum Bibliorum opus, cuius editionis historiam, non minus ac Complutensem, quam retuli, memorabilem adiungo.

(:)

*Histo-*